



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 12 An consulendum mortalium peccatorum reis, ut statim post Confessionem communicent?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



circa corporale nutrimentum; altera quæ provenit ex vera digestionem, seu concoctionem, estque salutaris; altera quæ provenit ex stomachi intemperie, estque mala, seu perniciofa; quia indicat aliquam indispositionem: sic accidit in nostro casu, & attentè advertendum est, an hoc desiderium communicandi, sit vera fames spiritualis alimenti, & procedat ab animo divino amore inflammato, ut ait supra relatus Divus Thomas; quo fit ut cupiamus uniri Christo, & ejus vitâ vivere? an sit perniciofa fames ab extranea aliqua causa, aut vitiofa qualitate proveniens, ut cum quis ob mundi honestatem, ad virtutis ostentationem, aut ob alia hujusmodi motiva ad sacram Communionem accedit.

Argumentum tutissimum, & evidentissimum in hac fame discernenda, est fructus, seu progressus qui percipitur ex sacra Communionem, cum juxta sanctos Patres, Jesus-Christus in hoc Sacramento se nobis præbeat, ut verè Dii simus, sicut ipse verè est homo. Idcirco si post Communionem quis fideliter carat abstinere ab iis omnibus, vel etiam minimis, quæ Deum offendunt, vitiosos affectus superare, & à maculis quæ ex prava cupiditate nascuntur, se continuo purgare: tunc verum sine dubio est desiderium communicandi: tunc vera omnino fames Divini illius cibi.

*Quæst.* 12. Est-ne consulendum iis qui se peccatorum mortalium conscios norunt, ut statim post Confessionem communicent?

*Resp. Dicendum,* cum Divo Thoma, quod non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus & confessus, ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.

D. Th. in 4.  
dist. 9. art. 4.  
q. 1. in resp.  
ad 2. quæst.  
ad 1.



De Sacram. Euchar. Cap. XI. 207

Et S. Ambrosius relatus in Canone ait: Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt, cui præceptum est: Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Hoc est, immundis spiritibus sacra Communionis non impendenda consortia.

Denique S. Isidorus ait: Caterùm si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab Altari, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Idem habet S. Augustinus Epist. 100. S. Anselmus in 1. ad Corinth. cap. 11. Ita sancti Patres de summa hujus Sacramenti dignitate divinitus persuasi; sed non ita recentiores aliquot Casuistæ, qui vel maximè indignos ad sacram Communionem impellebant, ut patet ex sequenti horrenda profectò propositione damnata ab Innocentio XI. *Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

*Quest. 13. Quid injungere debent Confessores Pœnitentibus imparatis, quibus ad aliquod tempus differunt sacram Communionem?*

*Resp.* Injungere debent, ac præscribere remedia, quibus removeantur ab omni peccati affectu; & primò eos obligare, ut mundanas dimittant conversationes, & in recessu vivant, prout uniuscujusque patitur status, sive conditio. Nam si Christus nutriturus animas

Can. Nonnulli.  
De Pœnit.  
dist. 1.

S. Isidorus  
Hispan. lib. 14  
de Officiis  
Ecclesiasticis

In Decreto  
contra 69.  
Propositiones  
2. Martii 1679.  
Propos. 56.